

ab objecto, licet diversa ratione, et diverso agente sit reducibilis in actum, scilicet vel per elevationem respectu agentis, et objecti supernaturalis, vel per connaturalitatem respectu proprii objecti, sicut eadem potentia ligni est receptiva figuræ naturalis, et artificialis.

XXV. Ex dictis colliges quomodo sit impossibile Deum videri in se oculis corporeis, nam si visus ita limitatum habet objectum terminativum, ut non possit etiam de potentia absoluta attingere sonum, quomodo poterit attingere spiritum, quomodo Deum? Quomodo reddi similis summo spiritui, si in se corporeum quid est: *Similes autem erimus ei, quia videbimus eum sicuti est*, ut dicitur I Joan IV. Unde optime Augustinus, epist. VI: « In tantum videbimus in quantum similes ei erimus, quia et nunc in tantum non videmus in quantum dissimiles sumus. Inde igitur videbimus, unde similes erimus. Quis autem demantissimus dixerit corpore nos, vel esse, vel futuros esse similes Deo? »

ARTICULUS III.

Utrum detur in intellectu creato inclinatio naturalis ad claram Dei visionem?

EXPENDITUR TERTIA RATIO D. THOMÆ IN ARTICULO PRIMO.

I. Utitur D. Thomas in hoc articulo et in aliis multis locis ad probandum posse intellectum creatum pertingere ad visionem Dei ratione sumpta ex desiderio videndi Deum, eo quod inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cum intuetur effectum, ergo si non posset ad ipsam primam omnium causam videndam pervenire intellectus, frustraretur hoc naturale desiderium.

II. In qua ratione duo sunt difficulta. Primum est, quod tota ratione concessa, non probatur intentum, nam visis effectibus non desideramus videre causam entitative in se ipsa, sed eo modo, quo causa est, et in effectum relucet, sicut visa eclipsi lunæ desideramus videre causam ejus, quæ est interpositio terræ, non secundum quod illa interpositio est quidam situs, et ubicatio terræ, sed ut est causativa umbræ in luna, ergo similiter visis aliquibus effectibus primæ causæ desiderabimus videre ipsam non in se ipsa entitative, sed ut relucet in effectibus, et causat illos, sic enim cessabit admiratio.

III. Secundum est, quomodo verificatur, quod desiderium naturæ frustrabitur, si non perveniat ad videndum Deum, nam vel loquimur de desiderio naturæ efficaci, vel inefficaci. Primum est impossibile, quia nullum desiderium naturæ potest efficaciter tendere in id quod excedit omnem potentiam et virtutem naturæ. Deus autem in se clare visus omnem potentiam naturæ creatæ excedit, ergo et omnem efficaciam desiderii naturalis. Si secundum dicatur non est inconveniens, quod tale desiderium maneat frustratum, et inane, quia desiderium inefficax sine effectu est.

IV. Ad has difficultates componendas distinctio supponenda est de appetitu naturali, et elicito, quod appetitus naturalis fundatur in ipso impetu naturæ secundum se, et remota omni cognitione, sicut lapis appetit centrum, et unaquæque natura suum finem, suamque convenientiam. Appetitus autem elicitus fundatur in cognitione, ideoque elicitus dicitur, quia per elicentiam actus, et productionem operationis habetur. Et iste potest esse vel ordinis naturæ (qui etiam naturalis dici potest) vel ordinis supernaturalis

juxta diversa principia, in quibus fundatur. Et potest esse aliquando efficax, aliquando inefficax secundum quod adhibere potest media consecutiva effectus, vel non potest.

V. Duæ ergo principales sententiæ in hac parte sunt. Prima est Scoti in IV, dist. XLIX, quæst. X, ubi docet, quod appetitu innato beatitudo in particulari a nobis appetitur. At vero appetitu elicito non appetitur beatitudo in particulari, eo quod non est omnibus nota, est tamen omnibus conveniens, et finis omnium, et ideo fundat appetitum innatum. Quæ opinio etiam attribuitur Durando et M. Scoto super eandem distinctionem, IV sentent. et lib. I de natur. et grat. c. IV. Et in eadem inclinare videtur Valentia 1-2, q. V, puncto I, qui tamen non loquitur de appetitu naturali, sicut Scotus accipiendo illum pro inclinatione naturalis ordinis ad beatitudinem in particulari, sed pro capacitate ad illam quam natura nostra habet.

VI. Secunda sententia principalis negat appetitum innatum respectu Dei clare visi in particulari. Quam communiter sequuntur discipuli, et commentatores D. Thomæ Cajetanus I, p. q. LXXXII, ar. I; Ferrariensis contra gent. c. LI, m. Bagnez et Zúmel hic, Medina, et Curiel, 1-2, q. III, art. VIII; Vazquez in hac quæstione præsentis, art. I, et 1-2, disp. XXII, cap. II; Suarez, lib. II de attributis negativis, c. VII. Qui omnes auctores conveniunt in duobus. Primum est, non dari in nobis appetitum innatum, ut distinguitur ab elicito respectu visionis Dei. Secundum est quod quando D. Thomas dicit inesse nobis desiderium naturale videndi Deum non loquitur de appetitu innato, sed de elicito. Cæterum valde dividuntur in explicando, quomodo iste appetitus elicitus sit naturalis,

ita quod debeat esse efficax, nec possit frustrari. Cajetanus enim in præsentis articulo, 1-2, q. III, art. VIII, id explicat de homine supposita aliqua notitia fidei, seu rerum supernaturalium non ex solis naturalibus considerato. Solum autem esse naturale visis effectibus velle videre Deum non absolute in se, sed ut est causa talis effectus. Ferrariensis autem existimat etiam ante cognitionem fidei posse haberi desiderium videndi Deum ortum ex cognitione effectuum, licet ad id non possit naturaliter perveniri, sed solum sit capacitas in natura ut possit auxilio alterius id consequi. Vazquez autem, et Suarez citati explicant D. Thomam de naturali desiderio, id est, necessario quoad specificationem tam respectu beatitudinis in communi, quam in particulari, neque enim potest odio haberi, licet quoad exercitium non appetatur necessario, nisi Deus in se clare videatur. At vero M. Bagnez in præsentis negat desiderium efficax naturale ad visionem claram Dei, et rationem D. Thomæ sentit procedere de desiderio naturali conditionato, non absoluto, si autem intelligatur de absoluto, sensus erit, quod est desiderium cognoscendi causam prout naturaliter est possibile. Unde ratio hæc D. Thomæ non demonstrat visionem claram Dei esse possibilem. Et idem fere sentit et Medina ubi supra. Quare punctus difficultatis in præsentis ad duo reducitur. Primum, an respectu Dei clare visi in particulari possit ex effectibus visis oriri in nobis naturale desiderium, et non solum respectu beatitudinis in communi, de quo non tractat in præsentis D. Thomas, sed solum conatur ostendere esse possibilem ipsam visionem Dei in particulari, de hoc enim tractatur hic ubi agitur non de beatitudine nostra in communi, sed de ipsa cognoscibilitate Dei in particulari,

respectu nostri. Et secundo quantum valeat ratio D. Thomæ.

VII. Dico ergo primo: Non datur in intellectu creato appetitus innatus ad visionem claram Dei in se, nec D. Thomas de illo loquitur in præsentia ratione. Non loquitur de illo in præsentia, quia expresse loquitur de desiderio videndi causam visis effectibus, ergo loquitur de desiderio fundato in cognitione, id est, visis effectibus, qui utique est appetitus elicited. Absolute autem illum negat D. Thomas in iv, dist. XLIX, q. I, art. III, quæstiunc. III, ubi inquit: « Quod quamvis ex naturali inclinatione voluntas feratur in beatitudinem secundum communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem, vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ, sed per discretionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel illo summum bonum constare. » Et quæst. XXII, de verit. art. VII, ubi inquit: « Quod non movetur homo ex hoc quod appetit suam beatitudinem (scilicet in communi) sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei. »

VIII. Ratio autem est, quia appetitus innatus, ut distinguitur ab elicitio importat habitudinem fundatam in ipsa natura non ut cognoscens, sed ut entitas quædam est, cui aliquid secundum realitatem suam est conveniens, sed inter entitatem naturalem, et supernaturalem formam non est habitudo, et convenientia positiva, et naturalis orta ex ipsa natura, cum forma supernaturalis sit excedens et improportionata, et solum natura sit in potentia obedientiali ad illam. Ergo non oritur ex tali natura inclinatio, et appetitus innatus ad visionem Dei supernaturalem. Confirmatur, quia si ille appetitus innatus oritur ex natura considerata, ut natura est, consequenter debet efficienter derivari ab

ipso auctore naturæ. Sed hoc est impossibile, quia non potest auctor naturæ causare inclinationem, et appetitum positivum ad terminum, ad quem non potest perducere, sic enim frustra inclinaret in id, quod ab auctore naturæ assequibile non est, esset enim frustranea inclinatio, Deus autem, ut auctor naturæ non potest perducere ad visionem Dei claram, sed ut auctor supernaturalis, quia visio ipsa est effectus supernaturalis. Ergo non spectat ad auctorem naturæ talem inclinationem dare et consequenter naturalis appetitus non est.

IX. Nec obstat, quod in natura datur ab ipso Deo auctore naturæ capacitas ad formas supernaturales, quas utique potest appetere, et si non ut debitas saltem, ut perficientes se. Non inquam obstat, quia aliud est de capacitate, aliud de appetitu innato, appetitus enim innatus fundatur in ipsa natura secundum quod determinata natura est, et ad aliquid determinatum tendit, inclinatio enim naturæ semper est ad aliquid determinatum (sicut ipsa perfectio naturæ determinata est) et juxta id quod pertinet, vel requiritur ad talem perfectionem. At vero capacitas obedientialis non coarctatur ad determinationem naturæ, nam licet sit in illa, non tamen est ad id quod naturaliter potest reduci in actum, sed ad omne id quod agens infinitum potest ex tali, vel tali natura operari. Et ideo in natura fundatur capacitas ad res supernaturales, quia fundatur obedientialis potentia ad Deum, ut est agens infinitum, non tamen fundatur inclinatio, et pondus ipsius naturæ, nisi ad id quod determinate petit talis natura. Unde non bene infertur, quod aliquid possit appetitu innato appeti, ex eo quod est perfectio talis rei in se absolute, et a parte rei, sed oportet, quod sit perfectio ei proportionata, et

conveniens, ut determinata natura est, quia appetitus iste non fundatur in sola perfectione formæ, quæ appetitur, sed in proportionem, et determinationem naturæ appetentis ad illam, inde enim nascitur inclinatio, et pondus naturæ, ex sola autem perfectione rei appetibilis non infertur, nisi capacitas non vero pondus, et inclinatio naturæ.

X. Dico secundo: Non potest homo habere appetitum elicited efficacem ordinis naturalis ad visionem Dei claram, et in se ipso. Et dicimus ad visionem claram Dei in se ipso, non ut includitur in ratione boni in communi, et in confuso, sic enim est ipsa beatitudo in communi sumpta, sed loquimur de visione Dei particulariter, et in se ipsa sumpta. Et vocamus appetitum efficacem qui respicit aliquid ut possibile adipisci a se, seu qui potest adhibere media ad talem adeptionem convenientiam quantum est ex se, atque ita respicit executionem rei, et non solam bonitatem, seu convenientiam speculative consideratam. Deducitur hæc conclusio ex D. Thomæ in locis citatis præcedenti conclusione, ubi æque loquitur de appetitu innato, atque de elicitio ordinis naturalis. Et præterea infra, quæstione XXIII, art. I, inquit: « Quod finis, ad quem res creatæ ordinantur est duplex, unus qui excedit proportionem naturæ creatæ, et facultatem, et hic finis est vita æterna, quæ consistit in divina visione, et est supra naturam cujuslibet creaturæ. Alius autem finis est naturæ creatæ proportionatus, quem scilicet res creata potest attingere secundum virtutem suæ naturæ. » Ergo sentit D. Thomas quod ad finem, qui est divina visio non potest dari habitudo ex ipsa natura, neque efficacem appetitum, quia secundum virtutem naturæ non potest ad illud pertingere. Et I-2, q. LXII, art.

I ad III, inquit: « Quod ad Deum naturaliter ratio, et voluntas ordinatur prout est naturæ principium, et finis secundum tamen proportionem naturæ, sed ad ipsum secundum quod est objectum beatitudinis supernaturalis ratio, et voluntas secundum suam naturam ordinantur sufficienter. »

XI. Ex quo sumitur fundamentum conclusionis. Quia quantumcumque detur cognitio naturalis ipsius Dei, semper caret natura sufficientia, et virtute ad tendendum in illam visionem, ut supernaturalis est in se. Ergo appetitus ex cognitione naturali ortus caret omni efficacia ad talem visionem. Patet consequentia, quia omnis efficacia appetitus fundari debet in aliqua sufficientia, et virtute ad acquirendum talem finem, ergo ubi deest omnis sufficientia, et virtus, nulla potest fundari efficacia. Patet consequentia, quia cognitio regulans aliquem appetitum non potest excitare appetitum efficacem quamdiu apprehendit aliquid ut impossibile, seu non propositum ut possibile, sic enim apprehenditur, ut frustrabilis, et inassequibilis: sed quamdiu consideratur, ut carens omni sufficientia, et virtute ad acquirendum finem non proponitur sibi ut possibilis, ergo non potest originare desiderium efficacem, sed solum frustrabile, et inassequibile. Et confirmatur, quia quantumcumque detur cognitio naturalis, semper comparatur ad objectum supernaturale in ratione potentie obedientialis tantum; ergo prout sic non fundat appetitum efficacem. Antecedens constat, quia vires, quas habet intellectus secundum cognitionem naturalem semper sunt inferioris ordinis ad supernaturalem finem, ergo solum possunt comparari ad illum sub ratione potentie obedientialis. Consequentia vero patet, quia potentia obedientialis non

importat efficaciam, et activitatem respectu ejus, ad quod est elevabilis, sed solum non repugnantiam, cum nullam habeat proportionem cum tali fine, neque ordinata sit positive ad media consecutiva illius, ergo non fundat appetitum efficacem. Unde constat quod ut constituatur appetitus efficax etiam ex parte ipsius principii appetentis, et non solum ex parte mediorum non sufficit nuda capacitas potentiae, sed requiritur, quod appetitus ille fundetur in aliqua sufficientia, vel virtute, seu activitate in ordine ad talem finem, et ejus media, ita quod objectum possit apparere aliquo modo possibile, nam circa objectum, ut apparens impossibile, seu ut nondum apparens possibile, nullus appetitus efficax fundari potest, ut ex se constat.

XII. Ex quo colligitur, quod appetitus inefficax circa visionem Dei non est, cur negetur ipsi naturæ secundum cognitionem naturalem, quia ad hoc sufficit, quod possit cognosci Deus, ut summum bonum, quod naturali cognitione cognosci potest, etiamsi non cognoscatur ut assequibile a nobis. Appetitus simplex, seu inefficax solum respicit bonitatem absolutam objecti sine ordine ad assequibilitatem ejus, sic enim multa bona desideramus, et vellemus habere, quæ impossibilia judicamus, ut velle nunquam mori, et similia. Appetitus autem efficax non respicit solam bonitatem absolutam rei in se, sed sub aliquo ordine possibilitatis, et assequibilitatis respectu ipsius appetentis. Cum ergo Deus possit naturaliter cognosci, ut summum bonum in se, potest etiam excitari appetitus per simplicem affectum erga fruitionem ipsius. Quia vero naturaliter non potest cognosci ut assequibilis, quia hoc solum potest supernaturaliter fieri, consequenter non potest fundari ap-

petitus efficax in cognitione naturali, quia nec practicum dictamen de assequibilitate illius.

XIII. Dico ultimo: Ratio D. Thomæ non solum ut probabilis, sed ut efficax explicari potest. Hoc mihi videtur de mente Cajetani in præsentis articulo primo et Ferrariensis III contra gent. c. cix, §. Considerando ulterius. Existimo ergo intentum D. Thomæ in præsentis solum esse probare, quod in homine detur capacitas, et possibilitas, seu non repugnantia ad videndum Deum in se, hoc enim directe inquit in articulo Ad hoc autem probandum non assumit pro medio, quod in nobis sit appetitus innatus, aut elicitus ordinis naturalis ad videndum Deum, id enim est impossibile, ut vidimus, et negatur ab ipso D. Thoma, sed assumit aliquid altius, nempe quod naturale est homini, id est, connaturale, et conforme ejus naturæ, ut visis effectibus velit videre causam propriam, et per se talis effectus. Hæc autem propositio sic universalis est, quod non restringitur ad aliquos effectus determinatos videlicet ordinis naturæ tantum, sed omnes effectus comprehendit tam naturales, quam supernaturales, quorum Deus est causa quasi univoca, et propria. Et sensus est, homini est naturale, id est, conforme suæ naturæ, visis effectibus etiam propriis, et immediatis ipsius Dei in se velle videre causam, nam viso quocumque effectu etiam supernaturali, nascitur in homine admiratio, et quoddam desiderium indagandi quidditatem, et principia talis effectus: unde si solum credat illum, et obscure cognoscat, manet intellectus non quiescens sed fluctuans, ergo signum est conforme esse, et connaturale ipsi intellectui etiam visis effectibus supernaturalibus, v. g. operationibus miraculosis, prophetia, et aliis similibus, quorum experimenta etiam per

sensus haberi possunt, velle indagare quidditatem, et principium proprium, et per se talis effectus.

XIV. Ex hoc autem principio ita certo, et stabilito infert sancti doctoris suam conclusionem, scilicet quod si rationalis creatura non haberet capacitatem, sed repugnantiam ad videndum ipsum Deum in se, tale desiderium volendi videre causam illorum effectum esset inane, et non conforme ipsi naturæ. Cujus consequentiæ vis consistit in hoc, quod illud desiderium ab intrinseco, et per se esset chimericum, et frustrabile, non autem conformiter ad ipsam naturam orietur, si supponeret intellectum esse incapacem videndi Deum, esset enim de re omnino impossibili, et repugnanti, ergo non posset oriri connaturaliter, et conformiter ad ipsam naturam, sicut non potest esse desiderium conforme naturæ, si ego desiderarem esse Angelum, vel habere corpus cœleste, quæ sunt res chimericæ. Ergo ex connaturalitate illius desiderii, quia non est chimericum, et inane, sed valde conforme ipsi naturæ viso effectu velle indagare, et videre causam, etiam visis effectibus supernaturalibus, optime infert D. Thomas non esse in homine repugnantiam, et incapacitatem ad visionem Dei. Quæ explicatio sumitur ex Cajetano in præsentis, ubi loquitur de connaturali desiderio videndi causam visis effectibus gratiæ et gloriæ, sicut explicavimus. Nec obstat quod I p. q. LXXXII, art. I, in solutione IV argumenti Scoti docet, quod ad volendum finem ultimum in particulari requiritur evidentia, quæ solis videntibus Deum convenit et non sufficit indubietas, quæ apud nos esse potest. Non inquam obstat, quia Cajetanus sumit ibi ly naturaliter pro eo, quod est non libere, sed necessario quoad exercitium, non pro eo quod est connatu-

ræ, seu conforme ad naturam etiam visis effectibus supernaturalibus. Et explicavit se ipsum Cajetanus, tom. III opusculor. tractatu VII. Et videri etiam potest Ferrariensis loco supra citato.

XV. Sed objicies primo: Nam juxta hanc explicationem supponit Div. Thomas id quod est probandum, supponit enim quod homo elevatus supernaturaliter, seu visis effectibus supernaturalibus desiderat connaturaliter velle videre causam eorum, de hoc autem est difficultas, an possit homo sic elevari, et an tales effectus dentur, nam cum sit difficultas, an homo sit capax visionis claræ Dei? Consequenter est difficultas an sint possibles tales effectus, supernaturales, et talis elevatio? Loqui ergo de homine elevato, est loqui de homine possibilitatem habente ad gloriam, de quo est difficultas.

XVI. Secundo, quia multi effectus naturales sunt, quorum solus Deus est causa immediata, sicut productio cœli, et animarum rationalium, et Angelorum, quæ a solo Deo possunt fieri, et tamen visis illis, imo et comprehensis, sicut comprehenduntur naturali cognitione ab Angelo, non est naturale velle videre Deum in se, qui solus est causa talium effectuum, alias etiam sine ulla elevatione, nec visione effectuum supernaturalium esset naturale homini, vel Angelo velle videre Deum in se, quod nos negamus. Ergo illa propositio visis effectibus naturale est velle videre causam, non est undequaque certa.

XVII. Tertio, quia ex visione effectuum quantumcumque supernaturalium non infertur appetitus videndi causam in se entitative, sed solum ut causativa est talis effectus, hoc enim sufficit ad intelligendum quidditatem effectus videlicet scire